



V

10th

alte Nr. 209.

Fürstenf. n. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.

12

Ἐν τῷ Χριστῷ ἀρχηγῷ καὶ τελειωτῇ πίστεως.

PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIS LUTHE-
ranæ parte, quæ est
DE SACRAMENTO


COENAE,
DECADIS TERTIÆ:
Problemata. VII. VIII. IX. X.
In Electorali ad Albim Academia,
in disputationem proposita,

à
JOHANNÈ FÖRSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario,
RESPONDENTE
M. IACOBO BRANDESIO
Quedlinburgensi,

Ad 22. Februar. horis locoque consuetis.

VVITTEBERGÆ,
Typis Johannis Gormanni. Anno 1612.



PROBATIONE
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIS IN THE-

DE SACRAMENTO
COENAE

JOHANNES FORSTNER
MAGISTRO ANNO 1710





PROBLEMA VII.

*Quinam propriè dicantur & sint Indigni,
quidq; ipsi in sacra Eucharistia percipiant.*

Themation I.



Ostrema Lutheri quæstio est de dignâ *χρήσει ἀφορμῆ.*
Cœnæ DOMINICÆ.

I.

Hanc exponit per distinctionem Dignorum
& Indignorum.

III.

Non igitur inconueniens fuerit, si hoc loco
de Indignis differamus.

IV.

Præsertim cum Gentis Sacramentariæ *πανουργία πρὸς τὴν
μεθοδεΐαν τῆς πλάνης* & hic non ociosa sed negociosa admo-
dum, *aberrando (a) à veritate & subvertendo quorandam fidem.*

(a) Eph. 6. 4. 14. 2, Tim. 2. 18.

V.

Figimus & erigimus autem *duas* quasi statuas Mercuriales, *διάταξις.*
quas inter tota hæc decurret Disquisitio.

VI.

Ad priorem statuimus priorem Problematis partem, *qui. De priori
nam videlicet propriè sint & dicantur Indigni.* parte.

VII.

Ad posteriorem verò sistemus posteriorem illius partem,
quid nempe Indigni in sacra Eucharistia percipiant.

VIII.

De priore parte *duæ* sunt sententiæ, *Vna ὀρθοδόξων, quæ
vostra: altera τῶν ἐτεροδόξων, quæ nostrorum Antagonistarum.*

43

Nos

ὀρθοδοξία
Lutheranorū.

Nos cum Libro Christianæ Concordiæ docemus & profitemur:

IX.

Unum tantum genus esse indignorum convivarum: ū sunt soli illi, qui non credunt. De his scriptum est: Qui non credit, jam iudicatus est, Et hoc iudicium indigno Sacra Cœna usu simulatur & aggravatur.

Articulo VII. qui est de Cœn. Domini in Epit. thel. VIII.

X.

ἑτεροδοξία
Sacramentorum.

Sacramentarij quia intelligunt & probè persentiscunt devotissime (a) Authenticæ Apostoli, de Manducatione indignorum: nec tamen audent aperto Marte cum illo congressi ideo operata artem aggredi nituntur. 1. Cor. 11, 27. 29.

XI.

Quomodo autem? Distinctiunculas quasdam Indignorum fingunt & fabricantur.

XII.

Qualis illa Bucerū olim: inter indignos omni: & aliquo modo.

In Decl. Artic. Concord. Anno, 36. VVitebergæ sancita, II Tom. Isleb. f. 364.

XIII.

Omni modo indigni erant ipsi homines profani & manifesti contemptores DEI ac verbi, omni verâ fide vacui.

XIV.

De his pronunciabat, quòd nudum ac putum pacem ac vinum in sacra percipiant Eucharistia.

XV.

Alique modo indignos appellabat non satis præparatos, id est, eos, qui quidem fide in CHRISTUM præditi, sed languida; unde fiat, ut majestatem tanti mysterij, non eo, quo par attendant & perpendant, modo.

XVI.

De his statuit, quòd & ipsi quidem verum corpus & sanguinem CHRISTI percipiant: sed indignè & ad iudicium.

XVII. Et

XVII.

Et de his, loco jam allegato, ab Apostolo ferri sententiam.

XIIX.

Eosdem fumos textui Apostolico offundit Senatüs Calviniani Dictator Beza, secutus vestigia suorum Ducum, *Buceri*, (b) *Arctij* & c. (c) *Petri Martyris*.

Resp. I. añ *Act. Colloq. Mompelg. f. 61.*

(b) *Serm. III. de Cæn. Domini.*

(c) *in comment. in I. Corinth. c. II.*

XIX.

Vixit & in hac Academia Theologus, Vir aliàs pietatis & eruditionis laude celebris, qui, nescio quo genio & ingenio, con- similem Indignorum *διχοτομίαν* Doct. inæ de Cæna immiscuit, quam tum temporis Theologi *Φιλολόγησι*: *D. Simon Musæus*, *D. Hieronymus VVellerus*, *VVestphalus* & *Iudex*, ingenuè reprehenderunt.

Osiander Cent. XVI. f. 7. 2. 814.

XX.

Et meritò quidem. Nam I. est *ἀγραφῶς*, adeoque ad- *Refutatio*
versâ, quod dicitur, fronte impingit, in *ἀπαγόρευμα* Aposto- *triplex*
licum; I.

I. Cor. c. 4.

μη ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν.

XXI.

II. Planè *ἀντίγραφῶς*. Etenim I. Scriptura *duo* duntaxat hominum in Ecclesia agmina constituit, *ἀντιδιηρημένα*: *Credentium unum*: *Incredulorum alterum*.

XXII.

2. Apostolus non distinguit inter Indignos: sed simpliciter eos, qui de pane & poculo benedicto comederint, biberintq; in duas distribuit classes.

XXIII.

In *unam* reponit eos, qui *se probant*; & hi omnes ipsi sunt *Digni*: in *alteram* verò eos, qui *se non probant* & hos vocat *indiscriminatim Indignos*.

XXIV.

Quodq;

Quodq; hi in universum omnes omni fide vacui: haut obscure innuit, quod simpliciter edisserit: eos sibi ipsis edere & bibere iudicium: De ijs autem, qui fide præditi, contrarium docetur.

Iob. c. 3, 24.

XXV.

Neque est ut objiciatur *è vers. 2.* quòd multi ex illis dicantur dormire.

XXVI.

Metaphora enim illa etiam de impiorum & incredulorum morte usurpatur.

1. Reg. 14, 20, 31. Dan. 12, 2. 1. Cor. 11, v. 18.

XXVII.

Vel potius intelligi id potest, de ijs, qui suum ante obitum resipuerunt.

XXVIII.

3. Scriptura infirmam fidem etiam habet pro fide. Nota enim est dulcissima Vox Prophetæ de CHRISTO (d) *δὲ χηγῶ καὶ τελευτώτῃ πίστεως:*

Esaia c. 42.

Calamum quassatum non conteret, & linum sumigans non extinguet: in veritate educet iudicium.

(d) *Heb. 12, 2.*

XXIX.

Et 2. Epist. c. 1. B. Petrus de ijs in universum omnibus, quibus suam inscripsit Epistolam (inter quos non paucos fuisse *ὀλιγοπίστους*, extra omnem dubitationis jactum positum est) disertè pronunciat, quòd *secum & ceteris cum apostolis sortiti ἰσόλημον πίστιν.*

2. Pet. 1.

XXX.

Ac tantum abest, ut infirmi fide, indigni sacratissimi istius Epuli convivæ, censeri possint ac debeant, ut, propter hos vel maximè illud sit institutum, & ipsemet Cœlestis convivator CHRISTUS tales in primis blandissimè eò invitet, seq; in infirmitate virtutem suam perfecturum spondeat. *Matt. 9, 12. c. 11, 28. 2. Cor. 12, 9.*

XXXI.

Eòdem spectat, quòd Gentilium *ἰσχυρῶν* infirmos in fide suscipi imperat.

Rom. c. 14, 1.

XXXII.

III. Accedite

III. Accedit quòd illa *νεοπλασορα* vel *καινοτομία*, nihil aliud quàm, *ἡπίβλημα ῥάκτος ἀγνάφου*, panniculus impexus vestimento veteri, (id est, veteri illi Dipnosophistarum phantasmati, quòd corpus ac sanguis DOMINI, non nisi, fide Spiritualiter percipi possit) assuendus.

Matth. 9, 16.

XX XIII.

Et tantum de priori Problematis parte, ubi quinam Indigni sint, dedimus explicatum: ad posteriorem transitum facimus, ubi jam cognata exurgit quaestio.

XXXIV.

Hæc videlicet: *Quidnam Indigni in sacrâ Eucharistia percipiant.*

XXXV.

In Calvinianos verè hic quadrat istud Philosophi: *ἐνὸς ἀπέπυθοντος συμβάνει τὰλλα.*

XXXVI.

Corpus & sanguinem, ut res spirituales, non posse, nisi instrumento proportionato, id est, in idem spirituali, Fide videlicet, in Cœna percipi, *σοιχείου* ipsis est *πρωτον καὶ ἀμεσον.*

XXXVII.

Ideoque Indignos, quia hoc spirituali instrumento, fide nimirum destituti, nihil nisi purum putum panem ac vinum percipere: ipsum autem corpus ac sanguinem CHRISTI cum pane & vino minimè, mordicus contendunt.

Carollstad: de verbis Cœnæ.

Impij, qui sunt absq; timore DEI, corpus CHRISTI neq; accipere neq; comedere possunt: panem autem Domini possunt ad iudicium accipere.

Oecolampadius in Epist. ad Bucerum.

Asserimus, incredulos ac prophanos, conspurcatores Mysteriorum rescare in ipsum CHRISTVM, & reos corporis ac sanguinis fieri, etiamsi nec corpus nec sanguinem CHRISTI contingant, nisi συμβολικῶς.

Musculus in Loc. p. 377. & 381.

Indigni licet Sacramentaliter edant ac bibant: revera tamen con-
pui

pus & sanguinem DOMINI, neque edunt neque bibunt:
SED TANTUM panem & poculum.

XXXIX.

Syllogismus
καταδικαστικός.

Ut autem istud Sacramentarium βωμολόχευμα & Sacri-
legium confundatur & confutetur: hunc producimus Syllo-
gismum Catholicum & Cardinalem:

Quodcumq; dogma 1. ex falso ortum principio, 2. contra-
dicit Apostolo, 3. & insuper κατὰ Διδάχμην pugnāt,
cū unione Sacramentali; 4. impingit in institutionem
Sacramenti Cœnæ, 5. adversatur suffragijs Patrum &
Lutheri: id erroneum est & novum.

At qui tale est βωμολόχευμα Sacramentarium, quod indigni
nihil nisi purum putum panem & Vinum in sacra Eucharistia
percipiant.

Ergo.

XXXIX.

Διάθεσις
Syllogismi in
5. membra.

Quinq; hic Syllogismus complectitur μέσσι vel argumenta
tertia, quorum quatuor priora dogmatis istius Zwinglio Calvi-
niani falsitatem: quintum sive postremum verò sovitate con-
firmant.

XL.

Eruamus & astruamus singula, brevitate ac claritate, qua
feri potest maximâ.

XLI.

I. Dogma istud ex falso ortum est principio, inde nimirum,
quod Sacramentarij fidem ad substantiam Cœnæ Dominicæ per-
tinere opinantur.

XLII.

Sed perperam, siquidem illa non ad substantiam: sed ad
salutarem fructum Eucharistiæ spectat: non verò ad substan-
tiam: neq; organon est percipiendi sacramentum: sed fructum sa-
cramenti, sicut suo loco copiosius demonstratum, præsertim

In I. Dec. Probl. V I. Disp. de Baptismo.

XLIII.

Jam ἐκ περιστάσεως superaddimus, si principium illud Cal-
vinisticum concedendum: tum sequeretur 1. integritatem Sa-
cramento.

cramentorum pendere non à veritate instituentis: Sed à fide Utentis,
& sic illam nostra infidelitate reddi posse irritam, quod absurdum,
& ἀποτόμως negatum ab Apostolo.

Rom. 3, 2. 2. Tim. 2, 12.

XLIV.

2. Sequetur item Hypocritas non integrum accipere Baptismum: ac proinde rebaptizandos; cum eatenus eadem sit ratio Baptismi, quæ Cœnæ DOMINI, id quod itidem absurdum & ab Augustino etiam refutatum.

3. lib. contra Donatistas.

Non interest, cum de Sacramenti integritate queritur, atq; sanctitate tractatur, quid credat aut quali fide imbutus sit, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam. Sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem.

XLV.

II. Contradicit Apostolo. Is quippe plenâ planaq; oratione pronunciat: Indignos fieri reos corporis & sanguinis CHRISTI, manducando panem, qui est communicatio corporis CHRISTI, & sic unâ cum pane, ipsum ipsius CHRISTI corpus: & bibendo vinum, quod est communicatio sanguinis CHRISTI, & sic unâ cum vino ipsum ipsius CHRISTI sanguinem.

XLVI.

Verba ejus πείνης ἀποδοχῆς ἀξία & κατ' ἐμφάσιν & ἴμ-
μουνῶν pro lata hæc sunt:

1. Cor. c. 11, 27.

ITAQVE quisquis ederit panem HVNC, aut biberit de poculo DOMINI indignè: reus erit CORPORIS & SANGVINIS DOMINI. Probet autem homo seipsum, & sic de pane ILLO edat, & de poculo ILLO bibat. Nam qui edit & bibit indignè iudicium sibiipso edit & bibit, non dijudicans CORPVS DOMINI.

XLVII.

Excipiunt Adversarij & præsertim eorum Dux & Antesignanus Beza.

In annotationib. in N. T. super hunc locum.

B

Refutatio
exceptionis.
ex plurimis
textus voca-
In bulis.

In editio[n]e Francof. Anno 97.

Qui manducant indignè, rei sunt spreti corporis &c. ut significare
reatum contrahi non manducando: sed spernendo Cor-
pus CHRISTI.

In edit. Francisci Junij m. Anno 1603.

Qui sacra symbola contemnit (id est minus rectè ijs utitur) non
panis & vini: Sed rei ipsius (id est CHRISTI) con-
temptor habetur & ejus sceleris graves pœnas luet.

In Homil. 2. de Cœna

DOMINI.

Quemadmodum censetur majestatis Casarea reus, violator statue,
vel imaginis ejusdem ita indigni sunt rei corporis & sanguinis
DOMINI, non quæ acceperint: sed quæ incredulitate sua
rejecerint.

XLVIII.

Verùm futilem & futilem hanc glossam singula prop-
textus Apostolici vocabula, conjunctis quasi copijs, certatim
confutant. Notamus saltem præcipua.

XLIX.

I. Est conjunctio ratiocinativa sive illativa ὡς ITAQUE,
qua indicatur: hoc esse πρόσημα, quod jam inferatur ex præce-
denti textu, in quo, ex verbis institutionis, ostensum: in Cœna
nobis porrigi non simplicem panem: Sed ILLUM panem, de
quo FILIUS DEI, qui veritas ipsa, enunciat: quod sit suum
CORPUS &c.

L.

Ac proindè qui indignè manducet de pane ILLO, reum
fieri non nudi panis: sed corporis ipsius FILII DEI, quod
unà cum pane indignè manducet.

LI. π

LI.

2. τὸ *Edere ac Bibere*, quo, non simpliciter *ſp̄r̄nendo* ſive *reſp̄uendo* corpus & ſanguinem DOMINI: ſed illud ipſum Corpus *edendo*, & illum ipſum ſanguinem *bibendo* reatus contrahi, dicitur.

LII.

3. *Eſt articulus ὁ ῥ' itemq; pronomen ἡ ῥες hic ille, hoc illud.* Non enim dicitur ſimpliciter: ὅς ἂν ἐδῶν ἄρτον: *Quisquis ederit panem:* ſed ὅς ἂν ἐδῶν Τὸν ἄρτον τοῦτον. *Quisquis ederit panem HUNC.*

LIII.

Utrumq; enim tum articulus: tum pronomen, ſingularem habent emphaticam, adeoq; non nudum panem: ſed adhuc aliquid aliud, quòd multò excellentius, ſignificat.

LIV.

Addè, quòd pronomen HUNC & ILLO ſimul ſint *relativa*, quæ reducant nos ad illum panem, ad illud poculum, de quo ex verbis institutionis, in textu proximè præcedenti, affirmatum fuerat, quòd *ille ſit corpus CHRISTI: hoc novum Teſtamentum, in ſanguine CHRISTI. verſ. 24. 25.*

LV.

Ad illum item panem: ad illud poculum, de quo in Cap. 10. clarà ac ſonora voce pronunciaverat; quòd *ille ſit corpus eius: hoc ſanguinis CHRISTI κοινωνία & μερῆς, verſ. 16. 17. 21.* vel *μετ' ἀληψίς* interprete Baſilio.

LVI.

4. *Eſt περιδορις μὲς*, quòd non dicitur purè poculum: ſed *μετὰ περιθέσεως: poculum DOMINI: non tantum generalitate, propter Autorem institutionis: ſed & hac ſpeciali conſideratione, de qua ibi ex profeſſo, quòd nempe, in illo poculo, ſanguis DOMINI, vel is, qui ex latere DOMINI effluxit, interprete Chryſoſtomo in Commentario in verba illa, poculum benedictionis.*

I. Cor. 10,

B a

ὁ 28

ὁ γὰρ λέγει τὸ ὄψιν, ὅτι τὸ ἐν τῷ ἐν ποτηρίῳ ὄν ἐκεῖνό ὄψιν,
τὸ δὲ τῆς πλευρᾶς ρεῦσαν καὶ ἐκεῖνο μετέχομεν.

LVIII.

5. Est τὸ ἐνοχῶ, quod non refertur propriè ad pœnam vel genus supplicij, (quod quippe paulò post phrasi *manducare ad iudicium*, indigitatur) sed ad *objectum*, ex cuius violatione, reatus ille contrahatur.

LIX.

6. Ideò sinè intervallo subjicitur, quòd reatus ille non committatur in *pane & Vino, Sacramentalibus Symbolis*, sicut Beza ineptit: sed in ipso ipsius CHRISTI corpore & sanguine, *sacramentalibus thesauris*.

Reus erit (non panis & vinis sed) *Corporis & sanguinis DOMINI*.

LX.

7. Est *distincta mentio* distinctarum humanæ CHRISTI naturæ partium: corporis putà & sanguinis, ex quorum distincta perceptione, *distinctè* etiam contrahatur *illius & huius* reatus.

LXI.

Quòd si, hïc ex Sacramentariorum sententiâ, eâ tantùm ratione contraheretur reatus, qua circa diplomatum & insignium regionum violationem: tam ista tam accuratâ panis & poculi manducationis & bibitionis distinctione opus non fuisset: sed omnino suffecisset *indistincta* saltem CHRISTI, in quem contumelia ista redundaret mentio.

LXII.

6. Est, τὸ διακρίνειν, quò notatur causa istius reatus, eaq; transfertur ad neglectam *διάκρισιν*, sive dijudicationem huius cibi mystici, à ceteris cibis vulgaribus, secundùm verba institutionis, quibus non nudi panis & vini, sed corporis & sanguinis CHRISTI cum pane & vino realis communicatio sancita.

LXIII. Hæc.

LXIII.

Hæc est norma illius *Δακρίσεως*, ad quam nos tacite deducit, idem Oecumenicus gentium Apostolus, de hoc argumento verba facturus.

I. Cor. 10. *Ut prudens loquor (κρίνατε) JUDICATE vos, quæ dico, Poculum benedictionis, &c.*

LXIV.

9. Est addita restrictio, quia illud τὸ *Δακρίσειν* non ad panem & sanguinem CHRISTI refertur: sed ad CORPUS DOMINI. Non dijudicans (quid? num panem? non: sed) CORPUS DOMINI.

LXV.

III. κατὰ *Διμέτρον* pugnat cum unione Sacramentali, qua, vi & virtute institutionis CHRISTI, panis & Corpus CHRISTI, Vinum & sanguis CHRISTI in unum-Sacramentale ita sibi invicem conjunguntur, ut unum absque altero percipi nequeat. III.

LXVI.

Cum itaque Indigni Panem Eucharisticum accipiant: itemque Vinum Eucharisticum: nulla utique fieri potest ratione, quin simul uno & eodem actu unà cum pane Eucharistico simul corpus CHRISTI: uno & eodem actu, unà cum vino Eucharistico, simul Sanguinem CHRISTI accipiant.

LXVII.

Si negaveris id: hoc ipso ilico evertes Sacramentum Cœnæ, & efficies manducationem, & bibitionem non sacramentalem, quòd absurdum.

LXVIII.

IV. Impingit in institutionem Sacramenti Cœnæ, qua quippe non dimidiatum: sed integrum sancit Sacramentum. IV.

LXIX.

Si igitur ex Calvinianorum opinione indigni, non simul cum pane accipiunt Corpus CHRISTI, & cum vino Sanguinem CHRISTI: consecrante fuerit, quòd planè nullum accipiant Sacramentum.

B §

70. Ac

LXX.

Ac proinde non posse nec debere eos eo nomine accusari, quasi profanarint Sacramentum DOMINI, cum non acceperint Sacramentum.

LXXI.

Abusus enim vel profanatio alicujus rei rem ipsam (Huic enim tanquam accidens subjecto suo inhaeret) non tollit : sed praesupponit.

LXXII.

Neque est ut excipiant Adversarij : si Indigni simul in Coena acciperent carnem & sanguinem CHRISTI tum secuturum, quod etiam vivificarentur, Jam cum non vivificentur, sed plane contrarium experiantur effectum; veritati consentaneum videri : eos participando panem & vinum, non simul participare corpore ac sanguine CHRISTI.

LXXIII.

Sed laborat elumbe hoc argumentulum *quatuor* potissimum vitijs :

LXXIV.

1. Est *ἡ δαλογισμὸς τῆ συμβεβηκότῃ*. Quod enim Caro CHRISTI in impijs non exerit suam virtutem *ζωοποιητικὴν* : id fit ex accidente, *διὰ τὸ ἐμπόδιον τῆς ἀπιστίας*.

LXXV.

Potest id appositè illustrari exemplo praedicationis Evangelij, de quo Apostolus conceptis verbis nunc in modum pronunciat:

2. Cor. c. 2.

CHRISTI bona fragantia sumus DEO, in his qui salvi sunt, & in his qui pereunt : his quidem odor mortis ad mortem : illis verò odor vitae ad vitam.

LXXVI.

2. Est *Sophisma causa aliena*. Indigni enim non ideò non vivificantur, quod carnem & sanguinem CHRISTI in Coena non percipiant : Sed quòd indignè percipiant *absq; fide*, quae, non ad perceptionem per se : sed ad perceptionem dignam & salutarem, necessaria.

LXXVII.

Et sic culpa defectus illius non est in re agente : sed in subjecto
non

non benè prædisposito, neque ita affecto, & præparato, ut possit
aut velit rei illius effectum capere ac sapere.

LXXIX.

3. Est Confusio Naturaliter & Voluntariè vel liberè Agentium.

LXXXIX.

Naturaliter enim Agentia non possunt suspendere actionem:
sed necessariò agunt, & vires exerunt suas, licèt diverso modo.

LXXX.

Voluntariè autem & liberè Agentia, quale Agens CHRISTUS,
cum Corpore & Sanguine suo: ea utique actionem possunt su-
spendere, suasque vires liberrimà voluntate retrahere.

LXXXI.

Et huc optimè quadrat istud ipsius CHRISTI effatum:

Joh. c. 5.

FILIVS, quos vult, vivificat.

LXXXII.

4. Ignoratio principij Theologici, quo constat: CHRISTUM
non tantùm esse primariò Salvatorem & vitam respectu Credentium:
Sed etiam secundariò Iudicem & mortem respectu incredulorum.

Johan. c. 3.

Non misit DEVS filium suum in mundum, ut condemnet mundum,
sed UT SERVETUR mundus per eum.

cap. 9.

IN JUDICIUM ego in hunc mundum veni, ut qui non vident,
videant, & qui vident, cæci fiant.

LXXXIII.

V. Adversatur suffragijs Patrum & Lutheri; id quod pluribus
doceri posset testimonijs, numero non exiguo comportatis à
B. Chemnitio.

Cap. X. Fundam. de SS. Cæna.

LXXXIV.

Sed sufficiant pro re nata hæc paucula partim ex Patribus;
partim ex Luthero, in gratiã styronum SS. Theologiæ, huc tran-
scripta, & in compendiolum quasi redacta & reducta.

August.

August. tract. 28. in Iohan.

Sacramentum de mensa Dominica à quibusdam ad vitam sumitur, à quibusdam ad exitium, res vero ipsa, cuius est Sacramentum, omni homini ad vitam, nulli ad exitium sumitur.

Idem in Enarrat. in Psal. 10.

Quid nobis fecit CHRISTVS, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei primùm Eucharistiam consecratam manibus suis, & ore suo commendatam, sicut ceteris Apostolis, traderet? Quid vobis fecit CHRISTVS, qui eundem traditorem suum, quem Diabolum nominavit, qui ante traditionem Domini sui, nec loculis Dominicis fidem potuit exhibere, cum ceteris discipulis ad predicandum regnum caelorum misit: ut demonstraret, dona DEI pervenire ad eos, qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit, per quem accipiunt, qualis Iudas fuit.

Chrysostomus Sermo 3. in 1. cap. ad Ephes.

Quomodo comparebis ante tribunal CHRISTI, qui manibus ac labijs immundis ipsius audes contingere corpus? Et Regem quidem nolles ore tuo foetido adosculari: Regem verò caeli anima graveolenti oscularis? Contumelia res est illa.

Theodoretus super 1. Cor. 11

Non solum Apostolis, sed & Iudae proditori preciosum corpus & sanguinem impertijt DOMINUS.

Bernhardus Serm. 8. de communione.

Sanè in mensa unà in Caena DOMINI de uno pane consecrato Petrus & Iudas accepit: Bonus in vitam: pessimus in pœnam: Bonus in beneficium: pessimus in Testimonium: Bonus in salutem: pessimus in mortem: Quod totum usq; adhuc completur in Sacramento altaris: Bonis quidem in bonum sumentibus: Canibus verò & immundis non sic.

LXXXV.

Sed urgent & ipsi Antagonistæ autoritatem Patrum & imprimis Augustini, qui indignos Sacramentum quidem percipere concedit: Sed non rem Sacramenti, quo termino illi corpus & sanguinem CHRISTI notari contendunt.

LXXXVI.

Verùm fallunt & falluntur ὁμωνυμία illius termini. Per rem

rem enim Sacramenti Augustinus alij; Patres intellexerunt
ipsam Cœnæ substantiam integrumq; Sacramentum ex re ter-
restri & Cœlesti constans: Interdum verò salutarem Cœnæ fru-
ctum, Ut in loco Augustini jam modo allegato, astipulante
nobis Bernhardo insigni hâc sententiâ.

De mod. benè vivendi ad sororem Serm. 28.

*Alius carnem CHRISTI spiritualiter manducat, & sanguinem bibit,
alius verò non, sed tantùm Sacramentum, hoc est, corpus
CHRISTI sub Sacramento, & non rem Sacramenti.*

LXXXVII.

Ex *Luthero* annotamus hâc observatione digna.

II. Tom. Isleb. f. 366.

In Articulis Concordiæ Anno 1536. Wittebergæ sancitæ
Articulo III.

Demnach halten sie/das die Einsetzung dieses Sacraments
durch Christum beschehen / kräftig sey in der Christen-
heit / vñnd das sic nicht stehet oder liegt an der Würdig-
keit des der es reichet oder selber empfehlet. Darumb wie
S. Paulus sagt/das auch die Unwürdigen das Sacra-
ment niessen/halten sie auch / daß den Unwürdigen auch
warhafftig dargereicht werde / der Leib vñnd das Blut
Christi / vñnd das die Unwürdigen solchs warhafftig emp-
pfahen/wo man des HERRN Christi Wort vñnd Ein-
setzung halte: Aber solche empfehens zum Gericht / wie
S. Paulus sagt / denn sie mißbrauchen das Heilige Sa-
crament / dieweil sie es ohn ware Buß vñnd Glauben
empfahen. Denn das H. Sacrament ist darumb einge-
setzt/das es bezeuge/das allen denen so wahre Buß thun/
vñnd sich wiederumb durch den Glauben an den HERRN
Christum trösten / die Gnad vñnd Wolthat Christi zuge-
eignet/sie dem HERRN Christo eingeleibet vñnd durchs
Blut Christi gewaschen werden.

Tom. III. Ienensi Germ. in II. parte Libr. contra
Cœlestes Prophetas fol. 74.

Der Tept zwingets mit gewalt/das die Sünde geschehe am
Essen vñnd Trincken/weil er spricht / wer Unwürdig Ißset
vñnd

C

vnd trincket/vnd spricht doch/das dieselbe Sünde gesche-
he am Leib vnd Blut des HERRN / das laut gewaltiglich/
das er im Essen vnd Trincken/den Leib vnd Blut Christi
habe beleidigt/vnd vbel mit ihm vmbgangen.

LXXXIX.

Legantur plura de hoc argumento

Tom. III. Ien. Germ. fol. 74. 75. 76.

Et iterum :

In eodem Tomo f. 502. 503, 504, 505.

PROBLEMA IX.

*An Lutherus plures de Cœna DOMINI
foverit opiniones.*

XC.

Quæ fuerit magni illius Germaniæ Vatis Lutheri de Cœna
DOMINI sententia : ex quinta Catecheseos ipsius parte, de qua
hactenus, satis clarum est & perspicuum.

XCI.

Tanta tamen est Gentis Sacramentariæ impudentia, ut non
veretur, constantissimum hunc veritatis Assertorem, in Ver-
tumnum transformare inconstantissimum ; eiq; plures, de Sacra-
mento isto sacratissimo, affingere opiniones.

XCII.

Luthero fal-
sas tribuunt
opiniones
Sacramen-
tarij.
I. Veteres.

Distribui possunt illi, quibus Zwinglio-Calvinianis, hæc
in parte, præ ceteris, operam quasi militarem præstare volupe,
in duas classes, quarum priori Veteres ; posteriori Recentiores, ascri-
bimus.

XCIII.

Veteres sunt pseudo-Theologi, qui Anno 1565, peculiari
scripto, grande de Luthero mendacium disseminarunt, de quo
Osiander.

Centuriâ XVI. fol. m. 796.

Hoc anno Calvinistæ grande & impudentissimum mendacium (ipsa-
rum spiritu omnino dignum) publico edito scripto, sparserunt. Finxerunt

enim

enim, D. Lutherum, non ita multò antè ultimam suam profectiõnem, quàm
in patriam suam, Islebium, suscepit, peregrinatum esse cum D. Philippo.
Atque in mutuo colloquio incidisse mentionem de re Sacramentaria, ibi fas-
sum esse Lutherum Philippo, quòd modum & limites excessisset in oppu-
gnandis Cinglianis: itaque rogasse Philippum, ut ipse (Philippus) modera-
to aliquo scripto, post Lutheri mortem, mitiget Controversiam Sacramen-
tariam: sibi enim (Luthero) id non licere, ne totam suam doctrinam, talis
revocatione & retractatione, de errore suspectam redderet.

XCIV.

Non puduit Pezelium idem enorme ac deforme menda-
cium reperere, & è (g) Pezelio, paucis abhinc annis Heidelbergenses
juxta & Embdenses.

(g) in L. 6. de Cœn. DOMINI.

XCV.

Verùm enim verò refutatum istud est mox à γυνσίω Lu-
theri Discipulo, Doctore Ioachimo Morlino, scripto gravi & nervo-
so, quod insertum Historiæ Augustanæ Confessionis edit Lat. p. 622,
623. & seq.

XCVI.

Nos præcipua saltem Refutationis capita strictim nota-
mus, propter eos, quibus libros hac de re editos videre non
contingit.

XCVII.

I. Aperta Lutheri protestatio magno Zeli fervore (h) propo-
sita & (i) solenniter repetita.

(h) Tom. III. Jen. Germ. fol. 509.
in Confessione Majore.

Weil ich sehe/dz des Kottens vnd Irrens je lenger je mehr wird/
vnd kein auffhören ist des Tobens vnd Wütens des Sa-
thans / damit nicht hinfort bey meinem Leben / oder nach
meinem Tode/der etliche zukünfftig/ sich mit mir behelffen/
vnd meine Schrift in Irthumb zu stercken/ felschlich
führen möchten/wie die Sacraments vnd Tauffschwer-
mer ansiengen zu thun/ so wil ich mit dieser Schrift/
für

C 2

Capita Refu-
tationis.

I.

für Gott vñnd aller Welt meinen Glauben von stück zu stück bekennen/darauff ich gedencke zu bleiben bis in den Todt/drinnen (des mir Gott helffe) von dieser Welt zu scheiden/vñnd für vnfers HErrn Iesu Christi Richterstuel kommen. Vñnd ob jemandt nach meinem Tode würde sagen/wo der Luther jtz lebet/würde er diesen oder diesen Artickel anders lehren oder halten/denn er hat diesen nicht gnugsam bedacht / etc.

Dawieder sage ich jtz als denn/vñnd denn als jtz / das ich von Gottes gnaden alle diese Artickel habe auff's fleissigst bedacht/durch die Schrifft vñnd wieder herdurch oftmalß gezogen/vñnd so gewiß dieselben wolt verfechten / als ich jtz habe das Sacrament des Altars verfochten.

I. Tom. VIII. Ien. in Conf. Minori fol. 17.

Ich/als der ich nu auff der Graben gehe/wil diß zeugniß vñnd diesen Ruhm mit mir für meines lieben HErrn vñnd Heylands Iesu Christi Richterstuel bringen / das ich die Schwärmer vñnd Sacramentsfeinde/Carlstad/Zwingel/Ecolampad/Stenckfeld/vñnd ihre Jünger zu Zürich vñnd wo sie sind/mit gantzem Ernst verdampt vñnd gemiddert habe/nach seinem Befehl/Zit. 3.

Ibidem fol. 178.

Ich mus sie fahren lassen vñnd meiden / als die *αυτοματουντες* 780, die wissentlich vñnd müthwillig verdampt sein wollen / vñnd mit ihr keinem einicheylen gemeinschafft haben/weder mit Brieffen / Schrifften / Worten / noch Wercken/wieder HErr gebeut/Matth. 18. er heisse Stenckfeld/Zwingel/oder wie er wolle/denn ich rechen sie alle in einen Kuchen/wie sie auch sind/ die nicht glauben wollen/das des HErrn Brot im Abendmal sey sein rechter natürlicher Leib/welchen der Gottlose oder Judas eben so wol mündtlich empfehet / als S. Petrus vñnd alle Heiligen. Wer das (sage ich) nicht glauben wil/der lasse mich nur zu frieden/mit Brieffen/ Schrifften oder Worten/vñnd hoffe bey mir keiner Gemeinschaft / da wird nichts anders auß.

98. 2. Conf.

XCVIII.

2. *Conciones Lutheri, quas brevi ante obitum vel abitum potius ex hac Vita beatissimum habuit 1. Witebergae. 2. Hale. 3. Islebij.*

XCIX.

Witebergae Dominica II. Epiphaniae ultimam habuit Concionem, ex Epistola Pauli ad Rom. 6. 12. ubi gravissime invehitur in Sacramentarios.

Tom. VIII. Jen. f. 283.

Item/ vom Abendmal sagen die Schwermergeister die Sacramentirer/ was sol Brot/ Wein? Wie kan Gott der Allmechtige seinen Leib in Brot geben? Ich wolt das du müssest mit dem Hindermaul etc.

Iterum f. 284.

Wenn du einen Sacramentschwerner hörest/ der daher lestert/ Im Sacrament des Altars/ ist nur Brot vñ Wein/ Item solte Christus auff dein Wort/ vom Himmel steigen in dein Maul vñ Bauch. En es gefellet mir wol/ was du sagest/ En hat der Teuffel so ein geleerte Braut. Aber was sagstu mir hierzu. *Diß ist mein geliebter Sohn/ Den ihr höret/ vñ der saget/ Diß ist mein Leib.* Troll dich mit deinem Dünckel auff das heimlich Gemach/ höre auff du verfluchte Hure/ wiltu meister sein vber den Glauben/ welcher saget/ das im Abendmal des H. Ern sey der wahre Leib vñ das wahre Blut.

C.

Hale, in transitu, 26. Ianuarij concionatus est, ex historia de conversione Pauli, ubi itidem non absque gemitu Sacramentarios meminit, hisce verbis:

Tom. VIII. Jen. f. 278.

Es sein dennoch/ Gott erbarm es/ sonst allzuviel die es anfeinden/ verfolgen/ vñ lestern/ wie die Sacramentschender in Schweiz/ vñ Widersteuffer im Niederland thun/ da jtz auffß jammersüchigst vñ erbärmlichst/ das Wort geschendet/ verfolget/ vñ gelestert wird.

Cl.

Islebij, 15. Februarij, triduo ante obitum, postremam habuit

C 3

conci-



concionem ex Matth. c. ii. de sapientia mundana, in qua iterum
Sacramentariorum, non absque Heroica indignatione, mentio-
nem facit, hoc illis obvertens *Ἰντιμῆα*.

Tom. VIII. len. f. 305.

Das sichtet man von anbegin der Welt an allen Kettern/Arius
vnd Pelagius/vnd itzt zu vnser zeit die Widerteuffer vnd
Sacramentirer / vnd alle Schwermer vnd Auffrührer /
die sind nicht damit zufrieden / was Gott gemacht / vnd
eingesetzt hat / können es nicht lassen bleiben / wie ers ge-
ordnet / Meinen / sie müssen auch etwas machen / auff das
sie etwas bessers sein / für andern Leuten / vñ rühmen kön-
nen / Das hab ich gemacht / Es ist zu schlecht vnd gering /
ja zu Kindisch vnd nerricht / was Gott macht vnd stift-
tet / Ich mus etwas darzu thun.

CII.

3. *Affirmativa Lutheri responsio paulo ante obitum, data ad in-
terrogationem D. Iusti Ionæ, & M. Celij.*

*Reverende Pater: Vis ne in CHRISTO & doctrina, quam concio-
wando tradidisti, constanter mori?*

Tom. VIII. len. f. 386.

CIII.

II. Inter Re-
centiores
Lampadius

IV. opiniones
Luthero tri-
buit.

Inter Recentiores porrò paucis abhinc annis in theatrum Or-
bis Christiani prodijt, homo quidam obscurus, Iohannes Lam-
padius.

CIV.

Is è Libro Embdensium *quatuor* diversas, imò partim etiam,
contrarias de Cœna DOMINI opiniones, Luthero assignare
non veretur.

CV.

Ira enim, in *Censura Vbiquitatis* fol. 20. expressè, & absq; omni
rubore, scribit:

*Constat Lutherum sæpè sententiam variasse, & impetu disputatio-
nem affectuumq; fluctibus abreptum, modò huc, modò illuc ani-
mum applicasse. Vnde quadruplex de verbis Cœnae Lutheri repe-
ritur opinio.*

CVI. A c

CVI.

Ac primò quidem fabulatur: Lutherum cum Sacramentarijs de Cœna DOMINI sensisse, tum in genere: tum in specie.

CVII.

In genere, 1. quòd & ipse Sacramentum appellet (k) externum signum; 2. quòd (l) Sacramentum à Corpore CHRISTI distinguat; 3. quòd denique scribat: (m) manere eandem fidem in unum DEVM, qui per diversa signa & verba, diversis temporibus, eandem fidem & SPIRITVM det.

(k) Tom. 1. Ien. Ger. f. 321, in Serm. de N. T.

(l) Tom. 1 I. Ien. p. 3. in Serm. de fraternit.

(m) Dominica sept. super Epist. 1. Cor. 10.

CVIII.

In specie autem, 1. quòd & ipse affirmet (n) Sacramentum oportere externum & visibile esse, 2. quòd dicat: (o) Panem super altari TANTVM esse SIGNVM, & nihil prodesse, nisi panis jam intus manducatus sit, videlicet CHRISTVS, qui NON DETVR IN OS; 3. quòd asserat: (p) sicut sumendo corporalem panem & vinum in altari, edamus ac bibamus verum CHRISTVM SPIRITVALITER, id est, edendo ac bibendo externè, exerceamus fidem internè; 4. quòd statuatur: (q) Corpus DOMINI & panem DOMINI pro eodem accipi figurâ sermonis; 5. quòd edisserat: (r) non Sacramentum: sed fidem Sacramenti justificare; 6. quòd (s) sicut Circumcisio fuerit signaculum pacti: sic panis pignus sit promissionis.

(n) Tom. 1. Ien. Germ. f. 202, in Serm. de Sacr. Anno 19.

(o) Serm. super Ioh. c. 6. Anno 23.

(p) Serm. super 1. Cor. 10.

(q) in Cap. V I. Esaiæ.

(r) (s) Tom. 1 I. Ien. Lat. f. 311.

CIX.

Secundò obijcit Luthero commentum transubstantiationis, quod istud ab illo canonizatum in Magna Confessione.

CX. Tertiò

CIX.

Tertio tribuit ei *συνυπόστατον* seu *consubstantiationem* ex VIII. Tomo Jenensi f. 375.

CX.

Quarto garrit, quod tandem arripuerit quasi tabulam è naufragio, *ubiquitatem*, & hinc præsentiam Corporis ac Sanguinis CHRISTI in Cœna evincere coactus fuerit.

CXI.

Verum-enimverò ut profana vanitas, & vana profanitas Spiritus Calvinistici, etiam hac in parte, in lucem protrahatur: ad singula ordine: sed concisè nobis respondere decretum est, factò initio ab opinione *prima*.

CXII.

De hac in genere *tria* afferebantur; ad quorum I. facilis est responsio. Nam dicit quidem Lutherus, quod Sacramentum sit *externum signum*; sed non ait, quod illud res spirituales *tantum significet*: sed expressè eodem in paragrapho addit, quod *res spirituales HABEAT*.

CXIII.

Ad 2. quod *distinguit Sacramentum à corpore CHRISTI*, tenenda est explicatio *ὁμωνυμίας* in voce Sacramentum, quæ bifariam accipi solet: 1. *ὀλικῶς* de toto Sacramento ex re terrena & cœlesti constante, ut passim: 2. *μερικῶς* de parte tantum visibili & terrena, in usu Sacramentali, ut hic à Luthero.

CXIV.

Ad 3. de *signis* sciendum, quod *quædam* tantum sint *σημαντικὰ*: quædam etiam simul *μεταδοτικὰ*, cujusmodi Sacramenta, quibus fides & SPIRITUS Sanctus aliæq; res spirituales non nudè significantur: sed etiam conferuntur.

CXV.

In specie adducebantur *sex*: ad quorum 1. quod Sacramentum oporteat esse *externum & visibile*, in promptu est responsio, ex explicatione *ὁμωνυμίας* jam traditâ.

CXVI.

In 2. Lutherus requirit ad salutarem Eucharistiæ usum, *internam vel spiritualem manducationem*, cujus instrumentum utique non est os: sed fides.

117. In 3.

Responsio ad
singulas opi-
niones.

CXVII.

In 3. itidem agit non de Sacramentali manducatione sed, ut ex adverbio SPIRITUALITER, & verbo PRODESSE liquido elucet, de *spirituali* sive *salutari*, cujus objectum propriè non corpus & sanguis CHRISTI distinctè: sed totus CHRISTUS cum omnibus suis beneficijs integrè.

CXVIII.

4. *Figura sermonis*, uti vel sonus istius vocis arguit, Lutherò non est: *Metonymia Rhetorica*: sed *Synecdoche Grammatica*, interprete eo ipso. In Confess. Majore.

CXIX.

In 5. res plana est. Verè enim non *Sacramentum*: sed *fides Sacramenti justificat*; id quod oppositum operi operato Pontificiorum.

CXX.

Ita & 6. respicit non partem Sacramenti Cœlestem: sed totius Sacramenti Circumcisionis & Cœnæ DOMINI, fructum, quod utrumq; Sacramentum, illius signaculum & pignus verè est & dicitur.

CXXI.

Neq; est ut aliquem offendat appellatio panis, cum ex priorè parte comparationis, ubi *non præputij*: sed integri Sacramenti Circumcisionis fit mentio, cuius legenti obvium: illâ phrasi Paulinâ, totum Cœnæ Sacramentum indigitari.

CXXII.

Tantum de *primâ* opinione: *Secundam*, id est *Transsubstantiationem Papisticam*, quod attinet: negari sanè non potest, Lutherum, (cum *Ἐπισημείωσις* ejus fuerit non momentanea: sed successiva) prioribus annis, adhuc statuisse transsubstantiationem, non diffitente ipso, in præfat. in I. Tom. Ien. Germ. f. 2.

CXXIII.

Quòd autem, in Majori Confessione, commentum illud à Lutherò fuerit canonizatum: id oppidò mentitum & falsum est.

CXXIV.

Neq; potest evinci indè, quòd commendet phrasin *Verum corpus CHRISTI dentibus atteri*.

CXXV.

Quòd enim illam non de corpore CHRISTI per se: sed respe-

D

Et

Et Sacramentalis unionis cum pane intelligendam velit; testis est plana & perspicua ipsius interpretatio.

Tom. III. Ien. Germ. f. 487.

CXXVI.

Tertia opinio de *συνγία* & consubstantiatione falso tribuitur Luthero; cum is non *συνγία*: sed Unionem Sacramentalem (k) propugnarit, adeò ut Bucerus ipse eum ab hoc errore liberum pronunciarit, ad Comandrum Pastorem Curientem hunc in modum scribens: Argentorati Anno 1538.

In hoc LEVITATIS & nos & Bullingerum condemnamus, quòd ut ipse adhuc, ita & nos aliquando, LUTHERO & ALIIS sententiam adscripsimus, in qua ille NVNQVAM FVIT.

(k) Tom. III. Ien. Germ. f. 487.

CXXVII.

Ad loca quæ è Luthero afferri solent, facilis est responsio, per distinctionem inter rem & modum rei. Illam non hunc exprimere voluit Lutherus. CXXVIII.

Quarò quâ occasione & quo respectu Lutherus veram & essentialem corporis ac sanguinis CHRISTI in Cœna præsentiam, ex articulo de omnipræsencia Carnis CHRISTI, assertum iuerit: notum est, è Majore ejus Confessione, & Libro Christ. Concord. Articulo, VIII. ab initio.

CXXIX.

Remotis igitur jis opinionibus, quæ falsò tribuuntur Luthero, remanet vera & sincera ejus sententia, quam Catechesi suâ perspicuè exposuit, de qua nos hætenus.

PROBLEMA X.

An certamen Eucharisticum tanti sit momenti, ut ob id ipsum Calvinianis deneganda fraternitas.

CXXX.

Ut in eo, unde cepit, nostrum hoc Disputationum de Cœna DOMINI, terminetur Collegium: placet & hoc, Colophonis loco,

co, extremis modò, labellulis attingere & perstringere ζήτημα.

CXXXI.

Sacramentarij tum quoad *ἑωχίαν*: tum quoad *περάξιν* stant pro *Negativa*, attestantibus id tum *Veterum* tum *Recentium* Conatibus, quibus nostratium fraternitatem expetierunt: licet diversum de Cœna DOMINI sentiant.

I. *Negativa*
Zwinglio-
Calviniano-
rum.

CXXXII.

È *Veteribus* id maximè attentatū fuisse, certum & exploratū est: A *Zwinglio* & *Oecolampadio*, in *Colloquio Marburgensi Anno 1529*, nec non à *Bucero*, partim per *Philippum Landgravium Hassiæ*: Anno 1530. partim per *Ducem Lunæburgicum*, Anno 1531.

Videatur *Historia Augustana Confessionis*.

CXXXIII.

Recentiorum Catalogo adscribimus, partim *Bezam* ejusque *Socios*, (t) qui, sub finem *Colloquij Mompelgartensis*, apud *Wirtebergenses Theologos* institerunt, ut dextras fraternitatis ipsis porrigere velint: partim *Heidelbergenses*, qui, peculiari *Scripto*, nostratium fraternitatem ambire sudarunt.

(t) in *Coll. Mompel. m. f. 566*. CXXXIV.

In illo *Scripto* hoc potissimū agunt, ut, licet diversum à nobis sentiant, in eo, qui est de Cœna DOMINI, articulo, nos tamen nihilominus ipsos pro fratribus habeamus.

Zweyhertzige vermahnung & c. f. 51, 52, 53, 54, 55, 56.

CXXXV.

Verū enim verò posito: sed non concesso, quod *Zwin. II. Affirmati- glio Calviniani* tantū in doctrina *Eucharistica* à nostris dif. va *Luthera-* sentiant: pro fratribus tamen, nullo eos pacto, agnosci posse ac *norum*. debere, constanter & intrepidè asserimus, propter rationes, quas *Rationes* ως ἐν τῷ πῶ, subijcimus. CXXXVI.

Prima est *Articuli istius sublimitas*, de qua, in *ἐκ ἑσῆς I. Probl.* I. *Disp. de Sacramento Cœnæ*,

CXXXVII.

II. *συνεχέας articulorum fidei indissolubilitas*, de qua scitè *Lutherus*, Tom. VIII. Ien. f. 179. II.

Der Teuffel kan nicht feiren / wo er eine Ketzeren stiftet / da mus er mehr stiffen / vnd kein Irthumb alleine. Wenn der Ding

Ring an einem ort entzwey ist / so ist er nicht mehr ein Ring / Helt
nicht mehr / vnd bricht immer fort. etc.

CXXXIIX.

III. III. *Exempli Lutheri autoritas.* Quippe qui & τῷ λόγῳ: & τῷ
ἔργῳ Sacramentarium fraternitatem repudiavit.

CXXXIX.

Τῷ λόγῳ quidem 1. Anno 1528.

Tom. III. Jen. Germ. f. 339. f. 341. f. 533.

Das wollen wir aber gerne thun / Weltlich wollen wir mit ihnen
eins sein / das ist / leiblichen zeitlichen friede halten / aber Geistlich
wollen wir sie meiden / verdammen vnd straffen / weil wir adent ha-
ben / als die Götzer / Gotteswort verkehrer / Eiferer vnd Lügen.

CXL.

2. Anno 1531. consultus an Zwingliani cooptandi in foedus
contra Pontificios. *Hist. August. Confess. p. 195.*

CXLI.

3. In literis ad (u) Argentinenses, itemq; ad (x) Senatum Is-
nensem. (u) *Hist. August. Conf. p. 196.* (x) *Tom. II. Isleb. f. 369.*

CXLII.

Τῷ ἔργῳ autem 1. Anno 1529, in *Colloquio Marburgensi*, ubi Zwin-
glio & Oecolampadio negavit dexteram fraternitatis, licet in u-
no de Cæna DOMINI articulo inter ipsos adhuc esset dissensus.

CXLII.

2. Anno 1536, ubi cum Bucero & Socijs concordiam inire no-
luit, antequam, veram & sinceram de Cæna DOMINI senten-
tiam, amplecterentur. *Tom. II. Isleb. f. 364.*

CXLIV.

IV. IV. *Principum Protestantium pietas*, quibus quippe religio, cum ijs
inire foedus, qui diversum de Cæna DOMINI sequantur dogma.

Sleidanus in Hist. anni 1531. CXLV.

V. V. *Zeli Theologorum verè Lutheranorum ἀξιομίαν & dignitas*, s. g. Phi-
lippi & Brentij, in Comitij Augustæ habitis, Anno 1530, *Virtebergensium*, in
Colloquio Maulbronnenfi Anno 1564. *Et iterum in Colloquio Mompel-
gartensi Anno 1586: Saxoniorum pariter & Suevicorum*, in *Responsionibus*
ad *Scriptum Palatinorum*, de fraternitate.

CXLVI.

Ed Theologiae Studiosos remittimus. Et quod superest: FILIO DEI
IESV CHRISTO, *Fratrī nostro dilectissimo*, in quo solo vera ac sincera frater-
nitatis gratias agimus, & agemus seculis infinitis, Amen.


SOLI DEO GLORIA,
FINIS.

AB: 195067

ULB Halle

3

003 019 209




56.






75
GEBHART WOLFFEN
HCALEVEYANASSON



B.I.G.

Farbkarte #13

10



Ἐν τῷ Χριστῷ ἀρχηγῷ καὶ τελειωτῇ πίστεως.

PROBLEMATUM
THEOLOGICORUM EX
V. CATECHESIS LUTHE-
ranæ parte, quæ est

DE SACRAMENTO

COENAE,
DECADIS TERTIÆ:
Problemata. VII. VIII. IX. X.
In Electorali ad Albim Academia,
in disputationem proposita,

à
JOHANNÉ FÖRSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario,
RESPONDENTE
M. IACOBO BRANDESIO
Quedlinburgensi,

Ad 22. Februar. horis locog. consuetis.

VVITTEBERGÆ,
Typis Johannis Gormanni. Anno 1612.